

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria
inanitatum nostrativum speculum**

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

99. Horologium

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

& nostri intra nos tam stупide ignaros esse ne lethargus quidem est, sed obrigescencia. B. O vigila quisq; non lapideas aures habes ad Divinam tubæ sonum, qua ad lucem, & diem & immortalitatem vocaris. A. Frustra hoc seculum inclamas, quod dormitantium habet infinitos, vigilantium prope neminem.

99. HOROLOGIVM.

A. Quid speculator meus oscitatur? B. Sane jucundum mihi oblatum est spectaculum.
 A. Quasi horologium nunquam videris? B. Nunquam quod sciam his oculis: nam ut primum hic vidi dici sectionem, planetarum motus, campanularum seriem, rotarum librationes, introverti oculos, & hujus vastissimi universi horologium introspexi, cujus æque sunt regulares motiones, sunt rotarum periodi, sunt magni diei divisiones, sunt indices, atque horariæ campanæ.
 A. Id dictu, quàm explicatu est facilius. Nam ut maxime temporis arcanam divisionem tibi dem, ac Monarchiarum regulatam successionem, tum imprimis Ecclesiæ admirabiles rotulas, temporumque notabilia signa, quis tamen ausit magnas illas horas definire, aut quis lynceus possit hanc horariam tabulam discernere? Nam ut imperiti oculi sciotericas lineas frustra intuentur, & confusionem potius quam cœli imaginem judicant, ita quoties Divinas illas lineas varijs tractibus in terreno pariete depictas contemplamur, haud quidem frustraneas facile agnoscimus, sed deli-

nea.

neationis artem, fundamentaque penitus ignoramus, quod evidenter in ijs videre est, qui hujus horologij explanationem sive resolutionem sunt conati, quanto spiritu quidem multa divinârunt, at contrarijs mox eventibus fuerint elusi. Atque hi Chymicis, mihi persimiles videntur, qui aliqua Naturæ detectione inescati, & speciosa ratiocinatione occupati, in fictas aliquas regulas, sive Philosophorum opiniones facile jurant, ac exinde sibi laboris & infamiæ massam concoquunt; ita qui harmonicum quid temporis, & seculorû deprehenderunt, lubrico plærunque innixi, in univèrsam naturæ concentuum anatomiam excurrunt, & cum præterita vix, nec secure satis possideant, futura insigni temeritate prænunciant. Cujus si testes volueris, perlege aliquos Apocalypseo Joannis commentatores, viros eruditos utique & bonos, sed in re nondum possessa nimium præcipites. B. Suspicio quos velis, atque mirari satis non possum, cum plærique Scripturæ lumen consensumque, tum ecstaticum quendam spiritum & divinam revelationem jactitent, tamen & inter se dissentire, & a vero penitus aberrare. A. Itaque maneamus in ea simplicitate, quæ jubet Christum sequi, & orbis regimen Deo relinquare.

100. I E S V S.

A. **C**VM duo sint Jesu Christi præclarissima puncta, Sapientissima doctrina, & perfectissima vita, & vtrumque Ecclesiæ suæ propagan-